

üütata Trincemensi.

MASOBLAT
A. M. N. MUZEUMI
SZÉCH. ORSZ.
KÖNYVTÁRBOL

Articuli Dietae
Posoniensis,

KÖNYVTÁRBOL

Anno 1601


MASOBLAT
A. M. N. MUZEUMI
SZÉCH. ORSZ.
KÖNYVTÁRBOL

M. N. MUZEUMI
SZÉCH. ORSZ.
KÖNYVTÁRBOL

Anno. 1.6.01. feria quinta Post Dominicam Exaudi, Prime Prime.
Sese articulo. Sci. Solutio Opus anni 1601. et q. Sura
N. S. M. Princeps O. D. n. m. clueneris. Tunc. l. n. g. sine
confirmatio. Solutio u. g. s. t. a. m. t. n. s. i. M. h. s. e. n. g. J. d. e. s.
S. s. e. C. u. l. t. i. s. T. r. i. n. i. t. i. s. J. o. a. n. n. P. e. t. r. i. n. i. s. t. i. d. i. n. a. n. n. o. g. l. i. s.
D. d. M. A.

2

De m. G. m. e.
S. S. S.
S. S. S.
S. S. S.
S. S. S.
S. S. S.





NOS RVDOLPHVS
Secundus, Dei gratia e-
lectus Romanorum Imperator,
semper Augustus, ac Germa-
niæ, Hungariæ, Bohemię, Dal-
matia, Croatia, Sclauonia, &c. Rex. Archidux
Austria, Dux Burgundia, Marchio Morauia,
Comes Tyrolis, &c. Memoria commendamus
tenore presentium, significantes, quibus expedit
vniuersis. Quod fideles nostri, domini Prælati,
Barones, Magnates, Nobiles, cæteri; Status &
Ordines Regni nostri Hungariæ & partium ei
subjectarum, in generali eorum Conuentu siue
congregatione, per nos, ad festum Conuersionis
beati Pauli Apostoli, hoc est, vigesimum quin-
tum diem proximè præteriti mensis Ianuarij, An-
no præsentis, Millesimo, Sexcentesimo, primo,
eis indicto, ac in Ciuitate nostra Posoniensi, ad
mandatū nostrū congregati, exhibuerunt & præ-
sentauerunt nobis, medio Serenissimi Principis
Matthiæ, Archiducis Austria, &c. fratris nostri
charissimi, qui scilicet nostro nomine ac in per-
sona dicto generali Conuentui præfuit, infra scri-
ptos Articulos, in eodem Conuentu, communi-
bus ipsorū votis & suffragijs, pari; & vnanimi
consensu conclusos: Supplices nobis humili-
ter, vt omnes & singulos eos Articulos, omnia;
& singula in eisdem contenta, ratos, gratos, & ac-
cepta habentes, nostrū; Regium consensum il-
lis præbentes, autoritate nostra Regia clementer

A

acce.



ARTICVLI POSONIEN.

acceptare, approbare, roborare & confirmare, atq; tam nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.



ARTICVLI DOMI-

NORVM PRÆLATORVM, BARONVM, MAGNATVM & NOBILIVM, CÆTERORVMQ; STATUUM & Ordinum Regni Hungariæ, partiumq; ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, pro festo Conuersionis beati Pauli Apostoli, siue vigesimo quinto die mensis Ianuarij, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, primo, indicto, Posonijq; celebrato, conclusi.

PRÆFATIO, in qua Status & Ordines Regni, pro pia ac benigna consolatione, Maiestati sue Cæsareæ humiliter gratias agunt, seq; etiam deinceps non deseri, demisse petunt.

ARTICVLVS I.



ACRATISSIMÆ CÆSAREÆ REGIÆq; Maiestatis, domini nostri clementissimi Propositiones, per Serenissimum Principem ac dominum Matthiam, Archiducem Austriae, &c. dominum itidem nostrum clementissimum, Statibus & Ordinibus afflicti Regni Hungariæ, exhibitas, ijdem Status humilimè intellexerunt; vbi sua Maiestas Cæsareæ atq; Regia, de non despondendis, sed potius meliori spe sustentandis animis, eos benignè consolatur, ea non mediocri solatio eisdem Statibus fuere, atq; ipsi pro eiusmodi pia Maiestatum suarum erga ipsos cura & studio, immortales agunt gratias: Obsecrantes eas-



easdē humilimè, ne in his ærumnis & periculis ipsos Status deferere, neuè eandem curam & sollicitudinem, ipsorum conseruandorum, intermittere, sed potiùs magis ac magis, suos omnes conatus eò dirigere dignentur, ut ipsi ex tot tantisq; miserijs, ope et auxilio Maiestatum suarum emergere, & sese erigere, suisq; Maiestatibus publicè & priuatim inferuire possint.

Subsidium unius & dimidij floreni Hungarici, in duobus terminis exigendum, offertur, deq; modo exactionis & solutionis eiusdem, et qui huic oneri ferendo, subiecti esse debeant.

ART. II.

Quantum itaq; ad Propositionum Articulos attinet, ne Status & Ordines in tantis angustijs extremoq; patriæ & fortunarum discrimine, sibi defuisse videantur; Offerunt ad bellicam præsentis Anni expeditionem, florenum unum cum dimidio, de singulis domibus, tam colonialibus, quàm inquilinarijs, debita rectificatione domorum, per Vicecomites & alios homines Comitatum in Sedibus, præsentis Dicatore suæ Maiestatis, more aliàs consueto, facienda, interueniente, habitaq; miserabilium personarum, competenti ratione; vnum quidem integrum, à subditis exigendum, dimidium verò florenum, per dominos terrestres soluendum, duobus nempè terminis, pro dimidia parte, in festo Diui Georgij, pro altera verò, Sancti Ioannis Baptistæ, proximè venturo, ad Cameram suæ Maiestatis, per manus Dicatorum Reginum numerandos: Ea tamen solenni interiecta cautione, ne hæc per dominos terrestres Nobilitatemq; præstanda Contributio, in præiudicium prærogatiuæ Nobilitaris ullo vnquàm tempore vergat. Huic autem oneri ferendo, quantum portionem colonorum con-

ARTICVLI POSONIEN.

cernit, secundum Constitutionem Anni Nonagesimi septimi, Articulo tertio comprehenduntur, non modo omnia Maiestatis suæ bona, tam Ecclesiastica, quàm Secularia, in quibuscunq; Comitatus sita, sed vniuersi etiam alij, Constitutionibus Anni Nonagesimi quinti, & reliquorum sequentium annorum, in specie designati, demptis duntaxat combustis ac penitus desolatis Villis & Sefsionibus, quæ more solito exemptæ habeantur. Tredecim quoq; Oppida Scepusiensia teneantur liberè in medium Regnicolarum contribuere.

Quantum Sclauonia Turcisq; subiecti soluere, & quo illorum et quatuor Comitatum Antetransiluaniam sitorum, Subsidium conuerti, quiuè præterea in Sclauonia in medium Regnicolarum contribuere debeant.

ART III.

Sclauonia & Turcis subiecti, contribuent pro media parte, vt anno superiori. In Sclauonia autem & Comitatus Bihariensi, Zolnok mediocri, Krazna, & Maramorusiensi, sicut præteritis annis, Dica in earum partium defensionem conuertatur, Dicatoribus per Cameram constitutis. Arcis verò Kaproncza pertinentiæ, nec non omnes Nobiles ac coloni & inquilini, qui post recuperatas ab hostibus Turcis Arces Petrina & Sciscio, inter flumina Sauu & Colapis refederunt & sedes suas fixerunt, instar aliorum Nobilium & colonorum, sine vlla difficultate & exceptione, contribuant in Sclauonia in medium Regnicolarum, iuxta priorem illius Regni & consuetam Portarum connumerationem.

De modo dicationis & taxationis domorum & personarum, ac quo subsidium oblatum et Taxa liberarum Ciuitatum conuertitur, milesq; hac pecunia conductus, à quo dependere debeat.

ART.

ART. III.

In domorum verò & personarum dicatione & taxatione obseruetur Articulus tertius, Anni superioris & reliquorum annorum ad quos ille dirigit; Subsidium verò hoc modo oblatum, non in alios vsus, quàm Campestris exercitus Hungarici conductionem, conuertatur; neq; miles hac pecunia conducendus, imperio alterius cuiuspiam externi Capitanei, subiectus sit, sed à Capitaneis Hungaris Supremis, immediatè dependeat, ex dispositione suarum Maiestatum. Hi tamen Hungarici Supremi Capitanei, habeant correspondentiam cum Generali belli Duce. Taxæ quoq; liberarum Ciuitatum, more aliàs consueto per Cameram exigendæ, in præsentis vsus bellicos conuertantur.

De educendis tempestiuè in campum militibus, sub Banderio Regio existentibus, vna cum alijs gentibus Maiestatis suæ Cæsareæ, deq; Confiniorum præsidarijs pleno numero intertenendis.

ART. V.

Supplicant hoc loco Status & Ordines suæ Maiestati, ut una cum alijs gentibus, milites sub Banderio Regio existentes, tempestiuè, ad primum videlicet diem mensis Maij, in campum educere, milites Confiniorum Præsidarios, integro numero intertenere, ac augere potius, quàm diminuere, omnesq; suas vires hinc inde dispersas, in unum locum colligere dignetur, ut priusquam hostes ex Asia, alijsq; remotioribus locis conueniant, nostri cõiunctis viribus, aduersus limitaneos & fortè imparatos hostes, memoratu quæq; digna gerere, ac si hostem numerofo cum exercitu maioribusq; copijs Regnum inuadere, vel locum aliquem magni momenti, obsidere contingat, ipsi melius & commodius occurri, & vires eius facilius conteri possint.

Quomodo diminutiones Contributionum, aliq; ea in re fraudes, caueri debeant.

ARTICVLI POSONIEN.

ART. VI.

Ad cauendas Contributionum diminutiones, fraudesq; indè non rarò subuenientes, contra eos, qui exactionem Subsidij de suis bonis admittere recusarent, & modo quoq; rectificationem fieri non permetterent, renouatur Articulus decimus tertius, Anni Millesimi, Quingentesimi, Nonagesimi noni, ea dere editus. Similiter etiam Articulus sextus, Anni Millesimi, Sexcentesimali, contra Vicecomites & Iudices Nobilium, in exactione Subsidiorum negligentes, aut pecuniam apud se referuantes, emanati; Item Articulus tricesimus primus, Anni Millesimi, Quingentesimi, Quadragesimi octauo, contra Dicatores, qui se in administratione fraudulenter gessisse comperti fuerint.

Vt ratio de Contributionibus anni præteriti, à Cameris, eisq; adiunctis, per Deputatos à Statibus Regni, exigatur, quouè Restantia reperta, conuerti debeant.

ART VII.

De Contributionibus Anni præteriti, Camerae, & Cameris adiuncti, antea scilicet denominati, sub præfenti adhuc Dieta, reddant rationem coràm quatuor personis, partim ex dominorum Prælatorum & Magnatum, partim verò Nobilium ordine denominandis, quibus adijciatur pro arbitrio suæ Serenitatis aliqua ex Aula idonea persona. Pro his inferioribus Regni partibus, nominantur ex ordine dominorum ad exactionem istarum rationum, Reuerendissimus dominus, Matthias Drafcouith, Episcopus Tininiensis, & Magnificus dominus Georgius Turzo: ex ordine verò Nobilium, Thomas Vvizkelethij & Nicolaus Bogadij: Pro superioribus Regni partibus, nominantur, Reuerendissimus dominus Georgius Zalathnokij, Episcopus Quinqueecclesiensis, Magnificus dominus Nicolaus Dersffij, item Sigismundus Paczoth & Ca-

& Caspar Varfadij. Restantia autem, si quæ per dominos rationum exactores reperta fuerint, dentur omnes ad Cameras suæ Maiestatis, ad conductionem militum præsentis anni, quæ præfatos pecuniarum exactores sufficienter quietare teneantur.

Qui nam Articuli in Lustrationibus, & in quantitate militarium stipendiorum non excedenda, obseruandi sint.

ART. VIII.

In Lustrationibus & quantitate stipendiorum non excedenda, obseruentur Articuli Annorum, Nonagesimi quinti, Nonagesimi sexti & Nonagesimi noni, ne videlicet eques, ratione currus & stipendij, plus quam sex, pedes uerò, supra tres florenos, accipere auit, sub pœna in transgressores Articulis illis expressa.

De generalis Insurrectionis modo & ordine, qualiter ab omnibus Statibus & hominibus obseruari debeat.

ART. IX.

Personalem insurrectionem quod concernit: Etsi Status & Ordines sufficientes rationes haberent, sese ab ea excusandi, nihilominus tamen, ne detrectare videantur clementem suæ Maiestatis & suæ Serenitatis hac in re factam instantiam; Statutum est, ut penes personam alterius ex Serenissimis fratribus suæ Maiestatis, si in Castra descensuræ sint, quilibet dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum & Nobilium personaliter insurgat, & penes suam personam, de singulis viginti domibus, unum equitem, benè armatum secum in Castra accipiat, & per integrum mensem, in Castris, penes suas Serenitates maneat. Si uerò fortè suæ Serenitates in Castra non sint descensuræ, tunc statutum est; ut ad requisitionem suarum Serenitatum, vel Generalis belli Ducis, de singulis tribus portis, unus pedes, benè bombardæ & armis in-

structus, mittatur, & per mensem in Castris interteneatur, incipiendo à die, quo Castra ingreditur, sub amissione bonorum suorum, communi æstimatione redimendorum. Dignentur autem suæ Serenitates, in casu talis insurrectionis, benignam rationem habere, præfatarum penes suas Serenitates leuatarum gentium, nè videlicet eo modo, quo sub Buda nuper factum est, ipsa Nobilitas tractetur, sed eis competens honor tribuatur. Ægroti verò, nec non senes et viduæ, ac ad bellum inhabiles, mittant suo loco alios idoneos; Pauperiores porrò Nobiles tres, limitatione Comitum & Vicecomitum præcedente, mittant unum peditem, vel quinque; unum equitem. Ceteri opulentiores, in equis proficiantur. Nobiles præterea, seruitijs suæ Maiestatis, aut quorumcunquè dominorum addicti, teneantur pro ipsorum personis, modo supradecarato, alios idoneos mittere.

Intimatio generalis Insurrectionis, tempestiuè & per quos fieri, quid uè circa illam obseruari debeat.

ART. X.

Huius verò personalis insurrectionis intimatio, fiat tempestiuè per suas Serenitates, vel Supremos huius Regni Capitaneos Hungaros, correspondentes cum Generali belli Duce: In qua insurrectione illud etiam obseruari debebit, ut ad remotiora loca, ipsi Regnicolæ non abducantur, nè dum ipsi à suis domibus procul absunt, domi interea miles damna inferat, vel hostis excursionem facta, depopulationes faciat, sed eorù potissimùm opera utantur suæ Serenitates, qui Castris Turcicis propinquiores erunt. Et hæ omnes gentes, præcisè suarum tantum Serenitatum et Supremorum Capitaneorum Hungarorum imperio, modo supradecarato, subsint.

De gentium Lustratione, quando illa fieri, et quomodo se domini ac in diuersis Comitibus bona habentes, in Insurrectione generali gerere debeant.

ART.

ART. XI.

Lustratio præmissarum gentium, fiat in quolibet Comitatu, vno eodemq; tempore. Quicumq; autem dominorum, numerum quinquaginta equitum non habuerit, subsit Banderio generali Comitatus; Eos verò, qui in diuersis Comitatibus bona habent, sufficit in eo tantum Comitatu insurgere, ubi suas residentias personales faciunt, aut officiolatus habent.

Quomodo Sclauonia insurgendum sit.

ART. XII.

Sclauonia insurgat in sui defensionem, more eius Regni consueto.

In re Annonaria administranda, Regnicole id quod poterunt prestare, non recusabunt.

ART. XIII.

Ad rem Annonariam quod attinet, nullam eius administrandæ ex hoc Regno spem dari posse, Sterilitas Annonarum superiorum docuit. Magister tamen suæ Maiestatis Annonarius, si sedulò ac tempestiuè frumentum et pabulum, vsibus Castrorum necessarium, peruestigaucrit, non recusabunt Regnicolæ, qui habuerint, tam victualia in Castra conuehere, dummodò vectores nò molestentur, iuxta Articulum decimum tertium, Anni Millesimi Sexcentissimi, tum etiam competenti precio, Magistro Annonæ complacere, & publicæ necessitati subuenire.

De pœna in desertores Castrorum stipendiarios, & in eis debito tempore non perseuerantes.

ART. XIII.

De pœna in desertores stipendiarios Castrenses, vel debito tempore in eis non perseuerantes, renouatur Articulus tricesimus primus, Anni Nonagesimi octauo, hoc

ARTICVLI POSONIEN.

addito, quod idem Capitaneus, cui subiectus in Castris talis stipendiarius desertor fuerat, cum etiam bello soluto, capere, & causa cognita, punire possit.

Quomodo à Perceptoribus publicorum Subsidiarum, & eorum hæredibus, de Restantijs ratio exigenda debeat.

ART. XV.

Renouantur etiam Constitutiones proximorum Annorum, de restantijs quorumlibet Subsidiarum publicorum, à Perceptoribus & eorum hæredibus, per Cameram suæ Maiestatis exigendis; ita nempe, vt si ad reddendas rationes, ad Cameram citati, non comparuerint, vel comparentes, conuicti fuerint, triplum restantiarum soluant, solutionem recusantes, in personis tam diu detineantur, donec satisfactionem impenderint.

Nominatio Magistrorum Annonæ, Maiestati suæ Casaræ, libera relinquatur.

ART. XVI.

De tribus Magistris annonæ ex Hungaris nominandis, Articulus decimus tertius, Anni proximè transacti, benigno suæ Maiestatis arbitrio relinquatur.

Eductio omnis generis frumenti et victualium extra Regnum, serio interdicitur.

ART. XVII.

Eductio frumenti, siliginis, auenæ, hordei et aliorum victualium extra Regnum, sub pœna confiscationis, per Tricesimatores vel quosuis alios deprehensores fienda, interdicta esto.

Comitatus Castriferrei, ut tam præteriti quàm presentis anni Subsidiarum restantias, facta rectificatione, soluat.

ART. XVIII.

Item, quandoquidem in Comitatu Castriferrei nil ex
Sub-

Subsidio anni præteriti administratum est; eamobrem causam huius defectus, sua Maiestas, uel sua Serenitas inquirendam committat: Et nihilominus facta rectificatione, tam superioris quàm præsentis anni restantias, iuxta rectificationem soluant.

Comitatus Zaladiensis ratio habenda.

ART. XIX.

Habeatur ratio Comitatus Zaladiensis, qui amissa Canifa totaliter desolatus esse dicitur.

Contra illos, qui Turcis omnis generis victualia inuehunt, quomodo procedendum sit.

ART. XX.

Turcis verò victualia cuiusuis generis inuehentes, si deprehensi fuerint, siuè indigenæ, siuè externi sint, ad instantiam Directoris, iure extraordinario, & extra quosuis Iudiciorum Comitiorum uè terminos, citentur in præsentiam Reuerendissimi domini Locumtenentis, vel alterius cuiuspiam Iudicis Ordinarij, & conuicti, pœna, Articulo Septuagesimo secundo, Anni Millesimi, Quadringentesimi, Nonagesimi octauis, & Articulo Sexagesimo septimo, Anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi tertij, contra tales sancita, plectantur.

De gratuitis laboribus ad Confinia præstandis, præcedentium Annorum Articuli renouati.

ART. XXI.

De gratuitis laboribus, ad Confinia Canifæ, Agriæ, & alijs hostilibus Confinijs opposita, potissimum autem Strigonium, VVijuar, Onod, Diosgeór & VVaradiense, ex deliberatione suæ Serenitatis, cum Consilio Hungarico, præstandis, referunt se Status & Ordines, ad Articulum decimum quintum, Anni proximè transacti, & vigesimum octauum, Anni Nonagesimi noni.

ARTICVLI POSONIEN.

De publicarum viarum reparatione, & alijs ad eam rem pertinentibus, proximorum Annorum Articuli obseruentur.

ART. XXII.

De reparatione viarum publicarum & pontium, ac officium in ea re præstandum negligentibus, sicut & de defectione lignorum, in Comitatus Turocz, Liphtho & Arvva, stent suo loco Articuli, decimus septimus & decimus octauus anni superioris, & Anni Nonagesimi noni, Articulus tricesimus.

Vecturam Machinarum & munitionum bellicarum, Status & Ordines hoc tempore præstare nequeunt.

ART. XXIII.

Non ignorant Status & Ordines, vecturam Machinarum & munitionum bellicarum, vti perdifficilem, ita etiam apprimè necessariam esse: Verum enimvero, ut aliquis curruum vel iumentorum numerus hoc nomine per Regnicolas expediatur, ex defectu animalium, partim lue pestifera toties repetita, partim verò hostium tyrannide & militum insolentia absumptorum, hoc tempore penitus impossibile ducunt.

Vt ad hanc vecturam ex alijs Prouincijs & Regnis pacatioribus, equi administrantur et Ciuitatum liberarum condigna ratio habeatur, Status et Ordines Maieitati suæ Cæsareæ humiliter supplicant.

ART. XXIII.

Supplicant igitur Status & Ordines suæ Maieitati quàm humilimè, dignetur equos huic oneri ferendo, ex alijs pacatioribus Regnis & Prouincijs, nondum Dei beneficio, hæc tam grauia incommoda perpessus, benignè adducendos committere, simulq; hac in parte, liberarum etiam Ciuitatum, continuis propemodù impensis et nouorum equorum, quotannis loco extinctorum, emptio-
ne atq;



ne atq; submissione, exhaustarum, condignum habere respectum. Confidit tamen benignè Maiestas sua Cæsarea & Regia, quod fideles Status & Ordines Regni, in præfenti ardua necessitate, pro publico Patriæ suæ bono, ac præfertim illi, qui Castris Christiani exercitus propinquiore erunt, dictam Commeatus & victualium, necnon Artoleriæ & munitioum vecturam, pro posse ipsorum, sicuti hæctenus quoq; laudabiliter fecerunt, hoc etiam anno, promptè ac beneuolè & pro virili, adiuturi & promoturi sint.

Intercedunt Status & Ordines Regni apud Maiestatem suam Cæsaream, pro restituendis bonis illis Nobilibus, qui in Comitibus Biharieñ alijsq; Antetranssiluaniam sitis, degunt.

ART. XXV.

Quoniam superioribus annis, Serenissimus Archidux Maximilianus, certorum Nobilium bona, in Comitibus Biharienti, Zolnok mediocri ac Krazna & alijs, quibusdam donauit, qui Nobiles eiusdem Comitatus, in iisdem bonis, contra legitimam Contradictionem, varijs modis indies turbare, eaq; sibi vindicare fatagunt. Quia verò Comitatus illi, spontè se Maiestati Cæsareæ subdiderunt, ideoq; fauore & gratia suæ Maiestatis Cæsareæ potius digni, quàm indicta causa, mulctandi videntur. Dignerur itaq; Maiestas Cæsarea, re diligenter cognita, eos, qui infontes fuerint, in integrum suorum bonorum restituere, eos verò, qui fontes erunt, debita pœna affici iubere.

De non conscribendis, lustrandis & dimittendis in Hungaria & Sclauonia externis militibus, sic etiam de condescensione et violentia militum, alijsq; grauaminibus, proximorum Annorum Articulos obseruandos Regnicole censent.

ART. XXVI.

Porrò fideles Status & Ordines, nil magis inter cætera
huic

ARTICVLI POSONIEN.

huic Regno salutarius fore existimant, quàm si Articulus vigesimus octauus, Diætæ nouissimæ, de externis militibus, in hiscè Regni reliquijs & in Sclauonia non conscribendis, lustrandis & dimittendis, iuxta suæ Serenitatis benignam anno superiori factam oblationem, & subsequutam superindè suæ Maiestatis confirmationem, inuiolabiliter obseruetur. Sic etiam Articuli de condensatione, vi, rapina & prædonio militum, & villas dominorum ac Nobilium militibus distribuendum, licentia, toties sanciti.

Insurrectio in liberos Haidones, sub muletâ pecuniaria decreta, atq; ut per Status nominati, confestim iuxta demerita eorum puniantur.

ART XXVII.

Vt liberorum Haidonum licentia compescatur, ad eos extirpandos & refrenandos, Supremi Comites, una cum Magnatibus, Nobilibus alijsq; Ordinibus, sub pœna à Magnatibus Sexingentorum, à Nobilibus, trecentorum florenorum, de factò exigenda, insurgere teneantur, vniuersi Statuum & Ordinum voto statutum est. Inter hos prædones præcipui sunt, Stephanus Saarasij, Georgius Kun, Matthias Budaij, nunc in captiuitate Capitanei Comaroniensis detenti, ac Petrus Konkolij cum Michaelè Revvez, & ad Tibiscum Nicolaus Segnieij, Nobilitatis & plebis oppressores, statim iuxta eorum demerita puniendi.

Vt partibus Cisdanubianis, Generalis Capitaneus Hungarus maturè ordinetur, Status & Ordines Regni demissè petunt.

ART. XXVIII.

Supplicatur hoc loco suæ Serenitati per Status & Ordines humilimè, dignetur primo quoq; tempore, de Supremo partium Regni Hungariæ Cisdanubianarum
Capi-

Capitaneo Hungarico prouidere, ne grauiora in dies ex huius defectu, inconuenientia subsequantur, cum & hactenus magnorum malorum ansam, vacantia huius officij dederit.

Supplicat Status & Ordines Regni Maieſtati ſuæ Ceſareæ, pro inſtaurandis et firmandis ex tot propoſitis Caſtris et Caſtellis, duobus vel tribus Confinijs, ad hoſtium Turcarum inſultus & excuſiones arcendas.

ART. XXIX.

Plurimum etiam Reipublicæ intereſt, quod totus ultra Rabum fluuium longiſſimus tractus, præſidijs uſq; ad Caniſam nudatus, manifeſtè perditioni, & hoſtium rapinæ relictus eſt, præſidijs aliquot miliarium ſpacio à Caniſa hùc verſus retractis. Quo propius enim hoſtilibus Confinijs præſidia ponantur, & excuſiones hoſtium arceantur, eò ſalutarius illis Regni partibus & Prouincijs adiacentibus, finibusq; Styriæ ad Rakoſpurgum uſq; futurum eſt; ac proinde, ne ſaltem paſſus & vada Rabæ fluminis ſemper cuſtodiantur, Caſtella Peóleóſke, Egerzegh, Kapornak, Zalavvar, Kemend, Nempthij, Zechijzigeth, Zenthgroth, Zemenije, Alſolindvva, ac alijs, propius videlicet Caniſam ſita, milite, munitione & reparatione, interim, dùm Dei beneficio Caniſa recuperabitur, neceſſario firmanda, & duo ex ijs vel tria, loco præcipuorum Confiniorum eligenda, conſultiſſimum iudicant, & eo nomine pro communi permanſione, Status & Ordines ſuæ Maieſtati, & ſuæ Serenitati obnixè quàm poſſunt, ſupplicat.

Sumptus in Vallones facti & damna per illos illata, Creditoribus & Comitibus refundendi.

ART. XXX.

Et quia ad intertentionem Vallonum, in Comitibus Caſtriferrei & Sopronienſi, ſpe futuræ promiſſæ ſolutionis,

ARTICVLI POSONIEN.

nis, sumptus non contemnendi facti sunt, ijdemq; ordinaria Comitatum promissione non contenti, plurima ibidem, & in Comitatibus Posoniensi, Comaroniensi, Nitriensi, Barfienfi & alijs, damna commisisse dicuntur; Ea omnia creditoribus damnumq; passis, Status & Ordines refundenda, & tandem ex Comitatu Soproniensi gentem illam amouendam, censent.

De Confinijs Sclauonicis, in Sclauonia agendum, Serenissimumq; Archiducem Ferdinandum ex suis Prouincijs dictis Confinijs, sic & Petrinia prospicere debere, Status demissè censent.

ART. XXXI.

Articuli de statu Confiniorum Sclauonicorum propositi, debebunt in Sclauonia proponi; Quia autem ex Hungaria subueniri illis non possit, Sclauonia quoq; sit iam penè exhausta: Supplicat Status & Ordines, dignetur sua Maiestas aut sua Serenitas, Serenissimum Archiducem Ferdinandum requirere, vt sua Serenitas, dictis Confinijs ex suis Prouincijs prospicere, & ne Petriniam etiam negligi permittere dignetur.

De refectione metarum Regni, superiorum Annorum Articuli renouati, & Commissio illa per Status & Ordines Regni sedulo expetitur.

ART. XXXII.

Hoc loco renouantur Articuli Annorum superiorum, de refectione metarum, inter Hungariam, Austriam, Styriam, Morauiam & Poloniam editi, quam ut Maiestas sua Cæsarea atq; Regia maturare, ac in locum demortuorum Commissariorum, alios idoneos nominare dignetur, Status & Ordines humiliter supplicat.

Ad Tabulam Regiam nominantur Aßesores maiores.

ART. XXXIII.

Ad Tabulam Regiam suæ Maiestatis, loco Prælati nominan-

ANNI M. DCI.

minantur Paulus Almassij, Vicarius Strigoniensis, vel
Valentinus Lépes, Custos Ecclesiæ Iauriensis; loco ue-
rò Baronum, Magnifici, Michael Czobor de Czobor-
zenthmihaly, aut Petrus Revvaj, Comes Comitatus
Turoczienfis, vel Ioannes Lifthius.

*Reuisionibus Appellationum, qui nam Prælati & Barones
interesse debeant.*

ART. XXXIII.

In reuisionibus Appellationum, penes Reuerendissi-
mum dominum Locumtenentem, in his inferioribus
Regni partibus erunt Prælati, Reuerendissimi domini,
Martinus Pethe, Archiepiscopus Colocensis, Stephanus
Szuhaj, Episcopus Agriensis, & Andreas Monozloij,
Episcopus VVesprimiensis; Barones, Magnifici domini
Franciscus Nadasdij, Georgius Turzo, & Sigismundus
Forgach. Pro partibus verò superioribus, erunt Reue-
rendissimi domini, Nicolaus Micatius, VVaradiensis,
Georgius Zalathnokij, Quinqueecclesiensis, & Faustus
Verantius, Chanadiensis, Ecclesiarum Episcopi; Item
Magnifici, Franciscus Dobo, Sigismundus Rakoczij, &
Nicolaus Dersffij.

*De modo Procedendi contra Confiniorum Capitaneos, siue
Castrorum desertores & traditores.*

ART. XXXV.

Quoniam contingit non rarò, quod quidam Confi-
niorum Capitanei cuiusuis nationis, fidei & fidelitatis
immemores, leuib; quibusq; causis moti, Castra, fidei
ipsorum commissa, hostibus tradere non erubescunt.
Licet contra tales desertores Castrorum, euidentes iam
extent Articuli, in publicis Regni Constitutionibus;
Volentes tamen Status et Ordines, eosdem Articulos de-
nuò ratificare; Statuunt unanimi voto & consensu, ut à
modo

ARTICVLI POSONIEN.

modo deinceps, contra eiusmodi Castrorum traditores & desertores, sua Maiestas Cæsarea, eiusdemq; Fiscus Regius, etiam extra quoslibet terminos Diatales & Octavales, coram Propalatino, alijsq; Iudicibus Ordinarijs, semper procedere, & iuris ordine contra eos, etiam Notam infidelitatis pronunciare & executionem facere possint & valeant.

Vt hoc responsum benignè sua Maiestas Cæsarea acceptare à Statibus & Ordinibus Regni dignetur, humilimè supplicant.

ART. XXXVI.

Hæc sunt, quæ Status & Ordines, ad ipsas suæ Maiestatis Propositiones, pro turbato rerum & temporum statu, viriumq; suarum modulo, respondere habuerunt; Supplices suæ Serenitati, & per eandem suæ Maiestati, dignetur hoc obsequium ipsorum, clementer potius acceptare, quàm oblatae Contributionis quantitatem ponderare.

CONCLUSIO.

NOS ITA QVAE PRAEMISSA supplicatione fidelium subditorum nostrorum, dominorum Prælatorū, Baronum, Magnatum ac Nobilium, ceterorumq; Statuum & Ordinum dicti Regni nostri Hungariæ & partium ei subiectarum clementer admissa, præfatos vniuersos & singulos Articulos, nobis modo præmissos præsentatos, præsentibusq; literis nostris, de verbo ad verbū insertos et inscriptos, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, eisdem nostrū Regium consensum, beneuolumq; pariter & assensum

ANNI M. DCI.

ſenſum præbuimus, ac illos & quævis in eis contenta, autoritate noſtra Regia acceptauimus, approbauimus, roborauimus & confirmauimus. Offerentes nos clementer, quod præmiſſa omnia, in omnibus punctis, clauſulis & articulis, tam nos ipſi obſeruabimus, quàm per alios omnes fideles ſubditos noſtros, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtant, inuiolabiliter obſeruari faciemus. Imò acceptamus, approbamus, roboramus & confirmamus, harum noſtrarum vigore & teſtimonio literarum. Datum in arce noſtra Regia Pragenſi, decima quinta die menſis Aprilis, Anno Domini, Miſleſimo, Sexcentefimo, primo. Regnorum noſtrorum, Romani vigefimo ſexto, Hungariæ et aliorum, vigefimo nono, Bohemiæ uerò, anno ſimiliter vigefimo ſexto.

Quod hinc




*Martinus Pethe de
Archieps Coloceni*



Himmelreich

mo. Regnorum nostrorum, Romani vigesimo
sexto, Hungariorum, vigesimo nono, Bo-
hemie uero, a. vigesimo sexto.

[Handwritten scribbles]



*Em
Archie*

M. T. AKADEMI
KÖNYV-
TÁRA

